

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De morte Pauli Nouatianoru[m] episcopi, & Martiano, qui in eius locum  
surrogatus erat. Cap. XLV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

blicè celebrata, in ecclesia Apostolorum condidit. Hac re  
igitur qui propter Ioannem conuentus seorsum faciebant,  
ad ecclesiæ concordiam reconciliati fuerūt. Quod factum  
est ad decimum sextum Consulatum Imperatoris Theodo-  
sii, Sexto Calend. Februarij. Vnde demiror quidem quid  
causæ fuerit cur tanta inuidiæ flamma contra Originem mor-  
tuum incensa sit (ducentis enim annis post morrem à The-  
ophilo excommunicatus fuit) cum Ioannes trigesimo quin-  
to anno, postquam è vita exceperat, sit à Proclo receptus in  
communionem. Verùm Proclus Theophilo tátum facilita-  
te morum antecelluit. Ista autem qua ratione & acciderint,  
& quotidie accidunt, prudenteribus viris minimè obscurū est.

*De morte Pauli Nouatianorū episcopi, & Martia-  
no, qui in eius locum surrogatus erat.*

CAP. XLV.

**N**On multo post corpus Ioáni in Ecclesia Apostolorū  
repositū, Paulus ecclesiæ Nouatianorū Episcop⁹ obiit  
mortem, eodē Cōsulatu, ad xii. Calé. August. qui suo  
funere omnes discrepantes dissentientesq; sectas vnā quo  
dammodo effecit Ecclesiā. Nam omnes eius corpus ad se-  
pulchrum cum psalmis decâtatis pariter deduxerūt. Quip-  
pe dum vixit, omnibus propter rectam sinceramq; vitæ ra-  
tionem perquam charus fuit. Quoniam autem Paulus mor-  
tem iam oppetitus, rem plane memorabilem gesserit, eam  
vtpote huic hystoriæ admodum accōmodatam, ad legētium  
vtilitatem hoc loco ponēdam cēsui. Quòd autem, dū ægro  
tabat, consueta suæ monasticæ disciplinæ dieta vsus sit, neq;  
eam vlo modo violauerit, quodq; etiam preces assidue fa-  
cere non intermisserit, mihi silentio prætereundum puto,  
ne dum in illis commemorandis insisto, rem gestam ab eo,  
vtidixi, planè memorabilem & valde utilem aliqua ex par-  
te obscurare videar. Quænam igitur ea sit, iam dicere ag-  
gredior. Paulus è vita migraturus, omnes sacerdotes acclē-  
iarum quæ sub eo erant, accersitos sic allocutus est: Proui-  
dete vt dum ego adhuc spiritum duco, Episcopus vobis de-  
signetur, ne postea ecclesiæ tumultu perturbentur. Cum re-  
sponderent non ipsis potestatem Episcopi diligendi per-

A A 5      mitten-

## SOCRATIS HISTOR.

mittendam esse(cum enim , inquit , alias nostrum aliud habeat iudicium , vnum eundemq; nominare non possumus , sed te eum quem volueris vt nos eligamus designare cupimus . idcirco , inquit , mihi hanc vestram promissionem scriptis mandatam tradite , quod cum estis electuri cui ego suffragatus fuero . Quia Sygrapha confecta , manuq; illorum subscripta , primum in lecto se paululum ergens , clam illis , qui aderant , nomen Marciani , qui presbyterij gradum obtinuerat , sub eoque didicerat monasticum vitæ genus , & id temporis fortè aberat , in ea inscripsit . Deinde cum illam obsignasset , primariosq; presbyteros etiam ad eandem sigillis suis etiam confirmandam induxisset , tradit Marco Nouatianorum in Scythia episcopo , qui tum in vrbe erat , sicq; illum affatur : Si Deo visum fuerit vt ipse amplius in hac vita maneam , hoc mihi depositum saluum redde : si eius voluntas sit , vt hinc demigrem , reperies in hac sygrapha eum , quem ego mihi in episcopatu successorem designauerim . Quæ cum dixisset excessit è vita . Itaque triduo post eius mortem , Sygrapha coram ingenti multitudine resignata , cum inuenirent nomé Marciani in ea inscriptum , omnes vno ore illum hominem esse eo honoris gradu dignum exclamarunt : atque absq; mora miserunt aliquot , qui eum comprehendenderent . Illi eum Tiberiopoli vrbe Phrygiæ vitam degentem dolo bono comprehendunt , indeq; secum deducunt : Ac 12. Calend. Septembbris illum iam episcopum ordinatum , in sede episcopali collocant . Sed de his non est opus plura commemorare .

*Quod Imperator Theodosius coniugem suam Eudociam Hierosolymam miserit . C A P . XLVI.*

**T**Heodosius Imperator , deinceps preces Christo offerre , quibus gratias pro acceptis beneficiis agat , Christiq; nomen hoc munere obeundo eximiis honoribus decorare coepit . Quinetiam Eudociam coniugem Hierosolymam misit . Quippe pollicitus erat illam hoc votum persoluturam , si filiam in matrimonio collocatam cerneret . Quin illa ipsa & ecclesias hierosolymorum , & omnes alias in vrbibus versus orientem fitas tum eo proficiscendo , tum domum redeundo varijs ornamentiis honorifice illustrauit .

De